

# DOCTRINA, ET VSV RERVM PRAESTAN-

TISS: D. STEPHANO GARTNERO ILLUSTRIS: PRINCIP: ACD. D.

Alberti Com: Pal: Rœni. Bauar: utriusq; Ducis medico, Balthasar Chonradinus Domino suo benemerito. S. P. D. 94



Vam illustris fuerit, uir clarissime, tuæ in me beneuolentiæ testificatio, satis cum nuper Monaciam, percepi. Vbi non solum partes meas, quæ tum me non parum angebant, una cum eximio, atq; peritiss: medico D. Alexandro Charthausero apud generis uetustate insignem uirum, ac legum autoritate grauis: D. D. Vigileum Hundium egisti: uerumetiam illustriss: principi nostro me tam sumopere commendasti, quo eius munificentiam, & liberalitatem luculenter sim expertus, & tuam fidem, & commendationem, quam optime me iuuerunt, maximo cum fructu per-spexerim. Pro quo officio tibi merito & iure, quas possum gratias ago. Ac, ut meam in te contesler uoluntatem, & gratitudinem, te etiam atq; etiam oro: ut hanc disputatiunculam (quam, nuper pro declaratione nostri in arte medica studij. Ingolstadij coram totius academiæ frequentiss: cœtu, uolentibus præceptoribus, habui) æquo animo, tanquam sempiternam tuæ beneuolentiæ memoriam suscipias: atq; me illustriss: principi, cæterisq; bonis uiris egregiè com-mendes. Vale.

SVBSCRIPTAM QVAESTIONEM MEDICAM. M. BALTHASAR CHONRADINVS AD V. CALEND: Iunij patrocinate ornatiss: uiro. D. D. Ioanne Veltmillero medicæ facultatis decano, & profels: excellentiss: disputabit.

## QVAESTIO MEDICA.

**A**N in cuiuslibet morbi principio per medicamentum ante humorum concoctionem, seu præparationem purgare liceat.

Positio prima.  
Nihil perinde medico necessarium arbitror: quam ut caute, & prudenter in quauis purgatione agat.

Positio secunda.  
Omnis enim intempestiua per medicamentum facta purgatio, debilitat uires, os uentriculi corrodit, & multa alia incommoda commouet.

Positio tertia.  
Medicus itaq; diligenter consideret, quando hæc in quouis morbi tempore, pro eiusdem qualitate, & quantitate tentanda sit.

Positio quarta.  
In principio morbi maxime non tentet purgationem: cum materia adhuc cruda est, neq; satis ad expulsionem idonea. Nempe quando uix sunt occlusæ, & noxij hu-mores medicamento non obediunt.

Positio quinta.  
Nisi materia, sicut & in acutis contingit, turgeat, id est, concitata sua sponte exitum petat. Nam turgere, irasci, prurire, furere, & ex parte in aliam transfluere hic significat.

Positio sexta.  
Aut alia signa maturationis seu concoctionis, ut urinæ crassæ, & nebulosæ in principio appareant.

Positio septima.  
Si uero non turget, sed cruda alicui membro infixæ est: illius *περὶ τῆς* *κατὰ φύσιν* uocant, tempus expectet. Qui etsi naturali calore humorem morbos efficientem alterat, & concoquit: multum tamen à medicamentis ritè, & legitime adhibitis adiuuatur, atq; citius perficitur, sicut & à diligenti & artificiosa præparatione.

Positio octaua.  
In acutorum principio purgationem concedimus, summo tamen adhibito iudicio: pro magnitudine & uehementia morbi, atq; humorum inconstantia.

Positio nona.  
Per purgationem hoc in loco potissimum eam intelligas: quæ per medicamenta aluum soluentia contingit, & uitiosos succos per excrementa alui educit.

Positio decima.  
Certam igitur differentiam inter *κένωσις*, & *κἀδαρσις* esse uolumus. Nam prior illa in principio morbi nonnunquam plurimum ualet.

Positio undecima.  
Ea Cathartica quoq; hic intelligimus, quæ multa uir sunt deiectoria, ut deleteria, & alia, quæ uentrem laboriose soluunt.

Conclusio.  
Medicamentis ergo, quæ magnas agitationes nimium attrahendo commouent, humores in principio morbi crudi ante debitam concoctionem non purgantur. Iux-ta illud Hipp. Concocta medicari, & mouere non cruda oportet, neq; in principijs, modo non turgeant. Plurima uero non turgent.

Hip: sect: 1. apho. 22.

## AD MEDICINÆ STUDIOSUM.

Quam sit in ambiguo posita hæc mea cardine causa,  
Pæoniæ te non artis alumne fugit.  
Quilibet, ingenio placet ut sibi cuncta tuetur:  
In dubium medici dogmata multa trabunt  
Et tumida quidam proscindunt uoce Galenum,  
Et sedant uarijs sordibus Hippocratem  
Vsus & soli fieri, rerumq; magistri,  
Ac ueteres cupiunt uincere laude Deos.  
Priscis & meliora uolunt protrudere cuncta,  
Quid facis o nimium languida posteritas?

Nam nisi te ueterum regerent uestigia, quo nam  
Velles per dubias tendere sola uias?  
Artis Apollineæ si non oracula haberes,  
Tempore nulla tuo iam medicina foret  
Ergo precor mecum magnum defende Galenum:  
Quidquid & eximius continet Hippocrates  
Nec cures tumidi quod conscripsere Nepotes,  
Stent tamen in primo dogmata uera loco  
Quilibet ac mecum uerbis contendat amicis,  
Hac facile uinci me ratione feram.

